Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26020
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gant. columbe autem cum per fenestras prospiciunt. alias aves non
ut accipitres lacerare cupiunt. Sancti apostoli karismatum nubes fuerunt.
que arida corda habundanti doctrine pluvia largiter irrigave-
runt. unde gaudebunt messem multam succrescere. unde sperabant se fruc-
tum centuplum in gaudio metere. Quasi columbe ad fenestras su-
orum oculorum mundana prospexerunt. quia mulieres non ad concupiscendum
ut adulteri. sed simplici et casto intuitu aspexerunt. et nichil de ter-
renis ut avari desideraverunt. Ex quibus scilicet Iohannes evangelista erat nu-
bes affluentissima. que sua doctrina melliflua ubique perfudit cli- 4
mata orbis quadrifida. Erat enim felle carens invidie ut simplex
columba. unde a domino suo in templo, id est in ecclesia locatus est ut firma
columna. Precipua castitatis mundicia radiabat. vita.
doctrina. miraculis. cunctas ecclesias illustrabat. Unde non quamvis de
omnibus apostolis generaliter. de eo pronunciat scriptura specialiter. Vox
tonitrui tui deus in rota. illuxerunt coruscationes tue in terra
tota. Per tonitruum altisona evangelii predicatio notatur. per rotam hic
mundus figuratur. qui celeri circuitione ut rota iugiter volutatur.
In hac rota vox tonitrui dei personat. dum grandisonus Iohannis
evangelii clangor mundo intonat. Coruscationes quoque dei orbi terre
illuxerunt. dum per Iohannem miracula Christi mundo innotuerunt.
Legitur quod in paradyso fons oriatur. qui in IIII. capita dividatur. Per pa-
radysum qui hortus deliciarum dicitur. ecclesia accipitur. in qua sunt scriptu-
rarum delicie. et que est vocata ad domum dei. ubi sunt gloria et divicie. In ta-
li paradyso fons oritur. dum Christus fons omnium bonorum de casta virgi-
ne nascitur. Quattuor flumina que inde oriuntur. IIII. evangeliste
intelliguntur. qui largifluo dogmate perfuderunt totum hortum ecclesie.
Hec IIII. flumina spiritales. dant ecclesie sapores tales. Unus quidem lactis
nutrimentum. alter autem prebet olei fomentum. tercius vini saporem. quartus
exhibet mellis dulcorem. Lacte infantes nutriuntur. De Matthei
evangelio lac ecclesie manat. dum Christum pro nobis parvulum factum. et lacte
nutritum clamat. Oleo infirmi curantur. De Luce evangelio oleum
ecclesie funditur. dum Christi cruore nostre infirmitatis curate ab eo refe-
runtur. Vino bibentes letificantur. Marci evangelium ecclesiam vino
potat. dum Christi resurrectione apostolos letificatos memorat. De Io-
hannis evangelio mel distillat. dum divinitatem que est dulcedo angelorum.